

QK-268724

X 2125047

Z d  
6940

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad  
supremum Officium

V I R O

*Admodum Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo, Excellentissimoq;*

DN.

PAULO FRANCISCO  
ROMANO,

Hæreditario in Braunschwig/

J. U. D. Com. Palat. Cæsar. Pandect. Prof.

Publ. Facult. Jurid. Assessori, Canonico Numburgensi,  
& Villarum Veterum Acad. hætenus Præ-  
posito Magno,

*horâ III.*

frequentissimo Comitatu præstandum

PROCERES AC CIVES ACADEMICOS

officiosè ac peramanter  
invitat.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'ACADEMIA' and 'PALLIO'.

Partial view of the adjacent page on the right, showing some text from a different section.





**P**arentationem vobis indiximus, CIVES, non Electori  
cuidam Saxoniae in Coelis triumphanti (cujusmodi ho-  
norem beatissimis Nutritiorum Serenissimorum Mani-  
bus, revolutis ipsorum emortualibus, quotannis da-  
mus) sed Regi Regum ac Domino Dominantium pie  
ac devotè præstandam. Cum enim hâc ipsâ die & pas-  
sionem & mortem pro perditissimo mortalium genere  
consummârit  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$  JESUS CHRISTUS, nostrarum omninò  
partium est, eandem diem, quâ ex ipsa morte vitam nobis acqvisitam,  
novimus, solenni memoriâ recolere. Dein, cum Natura ipsa, pro  
quâ tale quid nihil exantlatum est, parentare fategerit mortuo jam Crea-  
tori, an exequias CHRISTO non eamus Nos, Nos, inquam, morte ipsius  
ex morte cæterisque hostium potestatibus erepti? Sol ipse, Mundi Ocu-  
lus, hodiernâ die à duodecima ad tertiam usque horam contrâ omnem  
naturæ ordinem ferrugineum ostendebat vultum, & Terra, mœrorem,  
suum ut contestaretur, conqvasabat se intimè, & sepulcra sanctorum  
aperta dabat. Annon concutere nos corda nostra, & tristitiæ nubē,  
quâdam obvelare fas erit? At parentabimus Regi nostro, spineâ coronâ  
insignito, quodque jam morti vicinus mandavit ipse, acerbissimum E-  
jus obitum, ne vel abs inanimis Creaturis oblivionis ingratitude  
arguamur, gratissima animi cum mente rememorabimus, illætabile,  
illud carmen accinentes: ECCE, QVOMODO MORITUR JUSTUS &c.  
Verùm ne sic quidem parentationis hodiè desinemus. Parentatio enim  
parentationi jungenda, denuoq; ferale illud insonandum: ECCE QVO-  
MODO MORITUR JUSTUS, siquidem post  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$ , qui Justitia  
nostra factus est, solenni veluti funere horâ XII. elatum, dormitorio etiâ  
suo horâ III. inferendus est Vir non justitiæ tantum Civilis scientiâ usuq;  
Clarissimus, sed & in conspectu DEI per mortem JUSTISSIMI justificatus,  
Vir, inquam, Pl. Reverendus, Nobil. Ampliss. Consultissimusque, PAULUS  
FRANCISCUS ROMANUS, Hæredit. in Braunschweig / Jctus Excellen-  
tissimus, Com. Palat. Cæsareo, Pandect. Prof. Publ. Facult. Juridicæ Assessor,  
Cano-

Canonicus Numburgensis, & villarum Academiae Veterum h. t. Praepositus  
 Magnus, de singulis, quae sustinuit, muneribus insigniter meritis. Ne-  
 que vero novam Eclipsin, novumque terrae motum quendam adverte-  
 re hic non licet. Nam praeter Socerum Ejus Amplissimum, Patres Aca-  
 demiae Conscripti ceu Soles quidam a terrimo mœrore sunt obnubilati,  
 & Uxor Socrusque, consternatissima Corcula, imò Musæ Charitesque  
 omnes commoventur, scinduntur, ejulatibus omnia lacrymisque com-  
 plentes. Cui luctui & Nostrum juncturi Nos, ad Parentationem no-  
 vam Vos invitamus, utque *συνπάθειαν* vestram copiosissimo attestemi-  
 ni confluxu, quam enixissime contendimus. Cæterum ne oblivioni  
 quasi insepeliatur ROMANI Nobilissimi Vita huc usque immortalis  
 cum laude perducta, Nos strictim eam atque sine omni verborum le-  
 nocinio descriptam (quæ enim secus in tantis & temporis & chartarum  
 angustiis possumus?) exhibemus. Principe felicitatis loco censeretur  
 terat illustre Majorum Decus, quò de facili vel quavis hujus Urbis fa-  
 milias offuscaverit ROMANUS. At is nobilitatem à se suam vole-  
 bat incipere, non longo aestimari sanguine, pictosque majorum vultus  
 ostentare. Nam

*Quis fructus, generis tabulâ jactare capaci  
 Fumosos equitum cum Dictatore magistros,  
 Si coram Lepidis male vivitur?*

Patrem autem veneratus est Virum Pl. Reverendum, Nobilissimum, Am-  
 plissimumque FRANCISCUM ROMANUM, Codicis Prof. Publ. su-  
 premæ Curiae Provincialis & Facult. Juridicæ Assessorem, Canonicum  
 Naumburgensem & Acad. Syndicum, summi illius atque incomparabilis  
 FRANCISCI ROMANI, Jcti consummatissimi & Facult. Jurid. Lips. Or-  
 dinarii immortaliter meriti, foeminaeque splendidissimæ MARGARETHÆ  
 BACHOVIAE filium, & Matrem, insigne sexûs sui decus, GERTRUDIN,  
 ex Viro Prudentissimo CHILIANO GRÆFIO, Senatore, Redituum Pro-  
 vincialium Circuli Saxoniae superioris Praefecto, & Xenodochii ad D.  
 Joh. antistite prognatam, in lucem hanc editus d. XXIV. Januar. A. E. C.  
 M. DC. XLI. moxque CHRISTO per initiationis sacramentum, ut ju-  
 stus hæresque olim æternæ beatitudinis confieret, insertus. ROMA-  
 NUM se esse, h. e. ad maxima quæque natum, non vanè præmonstrabat,  
 cum fari, primisque pietatis præceptis imbui vix cœpisset. Itaque,  
 promoveri vis insita illa ut posset, dexterrimis commissus est Viris, qui  
 artes

artes literasqve, humaniores menti cereæ imprimerent, CASPARO videlicet & M. MICHAELI BOHEMIS, JOHANNI NICOLAO, & M. ESAIÆ SIEGFRIEDIS, & qui in Academia Carolina, Londini Scano- rum quæ floret, Celeberrimum Juris Gentium Professore jam agit, M. SAMUELI PUFENDORFFIO, quorum hic fervidum nobilissimi Adolescentis ingenium eò usque profectuum perduxit, ut pulpita adire Academica, & jam FRID. RAPPOLTUM, in enucleanda Horatii Arte Poëtica tum defixum, nunc SS. Theol. Prof. & Facult. suæ Decanum spectatissimum, jam L. JOH. SIGISM. SCHWENCKIUM, Log. & Metaph. Prof. Publ. Circulos Panosophicos percurfantem, mox M. HEINRICUM REISLANDUM, Philosophiæ omnis explanatorem audire cum fructu posset. Nec vulgariter Eum in publicis privatisq; Scholis profecisse, vel illud indicio egregio est, quod A. LVI. vix quindecennis primam Philosophiæ lauream decerpfit, Orationemq; politam atqve eruditam ex publica exedra declamavit. Excitatus postmodum diffusâ Jenensium Professorum famâ, sub auspicia anni LVII. Salanam studiorum elegit matrem, Ephoro & Genio veluti propitio usus PUFENDORFFIO jam laudato, cujus dexteritatem solertiamq; singularem ad manes usq; deprædicavit gratus. Ubi cum non Hospitis tantum ERHARDI WEIGELII, Mathematici admirandi, sed & BECHMANNI, subtilissimi Panosophi, BOSII Celeberrimi Polyhistoris, & OLPII, Politici eximii creberrimus fuisset auscultator, de multiplici illo scientiarum instrumento, quo sine ad summa perveniri haut potest, sapienter sibi prospexit. Quo præmunitus ad Jurisprudentiam, in qua Majores ad stuporem usque excelluerunt, toto animo sese convertit, interpretes ejus accuratissimos SCHRÖTERUM & STRUVIUM pertinaci assiduitate in Justinianæis, quæ vocant, Collegiis consuluit. Patriæ A. LVIII. redditus Viros illos, quos Oracula quædam, Juris esse non ignorabat, assidue sectabatur, sic tamen, ut FRANCKENSTEINII & THOMASII, Panepistemonum nostrorum, palæstras diu adhuc dum celebraret. E Jure-Consultis autem Academiae hujus exquisitissimis Duces nanciscebatur Candidissimum Senem QV. SCHACHERUM, Instituta Juris & legendo & disputando explicantem, JOH. BORNIIUM, Processus practici vias ostendentem, & JOH. PHILIPPI Eclogas suas declarantem; quanquam plurimum omnium debere se B. ECKOLTO & SCWENDENDÖRFFERO Juniori, semper est professus, quippe quorum ille bino in Digesta Collegio, hic accuratâ & Institutionum, & Ludwelli

Exercitationum, & Jurium Feudalium evolutione ingentem ei facem accendit. Instructus tandem solidiori tum Philosophiæ, tum Legum notitiâ in publicum prodire proscenium, binisq; disputationibus se Roscium exhibere, quarum prima de Emancipatione Liberorum sub venerandi Parentis, altera de Juribus Patriæ potestatis sub SCHWENDENDÖRFERI jam laudati umbone, applaudente Eruditorum Choro, defensata est; Cumq;ve honoribus Juridicis ipsius Themidis calculo dignissimus judicaretur, non uno quasi saltu, sed per gradus ad summa Jurisprudentiæ fastigia grassatus est, Candidatis A. LXI, examine & Lectione Cursoriâ, quam vocant, præmissis, dein A. LXII. habitâ de Alea disputatione, aliisq; æstibus exantlatis, Licentiatis, & deniq; A. LXIII. ipsis Cal. Aprilibus mirifico cum applausu Doctoribus Juris adscriptus. Verum ne sic quidem ignea illa & polo agnata mens expleri poterat. Ardebat enim & peregrè abeundi libidine, hâc quidem fini, ut cultiorum gentium mores cum cura inspiceret, prudentiamq; inde sibi ac disciplinam vivendi compararet. Igitur A. LXIV. ferventibus adhuc vernis nundinis Francofurtum petebat, exinq; per Rhenum in Bataviam deportatus potissimas & urbes & Academias tam Belgii Confœderati quam Hispanici, perlustrabat; visisque postmodum ultra Oceanum Germanicum pulcherrimis Angliæ oppidis, in Galliam, regionum Occidentalium felicissimam, transfretabat, perq; semestre propemodum integrum, peragratis antea Normandiâ & Picardiâ, Lutetiæ Parisiorum ob rerum visendarum varietatem commorabatur; cumq;ve postideâ tum Aurelianensem Academiam, tum cæteras florentissimi Regni provincias perreptâsset, per Pedemonium in Italiam ferebatur, inspectisq; Turino & Mediolano per Placentiam, Parmam, Mutinam, Bononiam & S. Laurentum ad famosissimam illam Anti-Christi occidentalis sedem, Romam tendebat. Ubi cum per novem admodum menses substitisset, in Regnum Neapolitanum, locaq; illi confinia excurrit, & ne nihil urbium clarissimarum & monumentorum veterum insalutatum relinqueret, per Sienam, Florentiam, Agrum Lucensium, Pisas, Livornum, Genuam, Papiam, & Mantuam itinere sumpto, Venetorum Remp. in mari Adriatico florentem admiratus est, tandemq;ve per Paduam, Lombardiam, Mediolanum, & Helvetiam in superiorem Germaniam reversus, primarias Ejus urbes atq;ve Academias antè, quam Lipsiæ redderetur, judicio ac successu pari inspectavit. Neq;ve enim externo urbium regionumq;ve si-  
tu,

tu, sed moribus populorum, sed Rerumpublicarum institutis, sed Vi-  
rorum Doctrinâ illustriam, quorum non paucos familiaritate litera-  
rum sibi adjunxit, consuetudine alloquioque animum pascebat. Pera-  
ctis ex voto itineribus non tam sibi, quam aliis se natum esse ratus, Ju-  
ridicas aperuit scholas, praesidioque suo disputantibus Juris Stu-  
diosis adstitit non semel, ea cum fortuna ac gloria, ut oneri doctoris  
publici ferundo aptissimus omnium videretur. Quare cum A. LXIIX.  
AMADEUS ECKOLTUS, Jctus edecumatus vivis eximeretur, non  
difficiliter vacuefactam Professionem, ad quam abs nobilissimo Jcto-  
rum Collegio denominatus erat, abs Celsissimis Fratribus, Clementissi-  
mis hujus Almae Nutritoribus obtinuit; Cumque non ita multo post  
Amplissimus ROMANI Nostri Parens his terris valediceret, ita re-  
bus filii optimi moderabatur Divinum Numen, ut ab explicatione  
Regularum Juris ad Institutionum professionem eveheretur. Quo  
munere quam pulcre in seigniterque functus sit, praeter Lectiones publi-  
cas satis loquuntur Disputationes C. Rittershusii sub Disputationis  
incudem denuo ab ipso revocatae. Hanc fortunam mox alia triplex  
excipiebat; siquidem Anno subsequenti & in Inclutum Jctorum Li-  
psiensium Collegium cooptatus, & Digestorum Professor post bea-  
tissimi SCHACHERI obitum, constitutus, & Canonicus Numbur-  
gensis unanimis Quatuor Nationum verbis est declaratus. Eo itaque  
felicitatis progressus, ut honeste decenterque sustentare familiam  
posset, DEO duce & pronubo A. LXX. d. XXIII. Septemb. scitissi-  
mum Virginum nobilium florem MARIAM ELISABETHAM, Viri  
Magnifici, Nobilissimi Amplissimi ac Prudentissimi Dn. PAULI WA-  
GNERI, Jcti Celeberrimi, Curiae Supremae Provincialis, Facult. Ju-  
ridicae & Scabinatus Electoralis Assessoris, nec non Consulis Reip. Lips.  
bene-merentissimi, ex splendido foeminarum exemplo MARIA  
OHEMIA filiam sibi adjunxit, fructusque suavissimi consortii tres ex  
ea suscepit, MARIAM ELISABETHAM, GERTRUDIN MARGA-  
RETHAM, & JOHANNAM CHRISTINAM. Decetero quoque ma-  
jorem indies in officiis publicis fidem dexteritatemque ostentavit,  
hoc insignioribus virtutum praemiis maectatus est postmodum & ex-  
ornatus. Etenim A. LXXI. mense Octobri gubernacula illi Aca-  
demica a liberis Nationum manibus tradita, A. LXXIII. abs Augu-  
stissimo Imperatore LEOPOLDO, Comitum Palatini dignitas colla-  
ta,

Zd 6940

ta, & deniqve A. LXXIV. Præpositura Magna trium veterum Academia Pagorum commissa est. Nec dubii quicquam erat, Eum Majorum suorum gloriam si non superaturum, at æqvaturum tamen, cum in omnibus, quæ obivit hæctenus, muneribus ROMANUM, suiqve semper similem, h. e. eximium & planè singularem sese exhibuerit. Sed aliud quid fata decrevisse de illo, eventus eheu! lamentabilis nos docet. Florentissimum enim Virum d. XXII. Martii dolor sinistri lateris cum calore non tenuissimo invasit, qui, quamvis cedere pharmacis Medicis videretur, acrior tamen rediit, & ἀγρυπνίαν, caloremqve vehementiorem ac sitim asperam adduxit secum. Equidem & materia peccantis ejectio, & malorum dictorum pausa, Medicâ ope inducta, spei non nihil allucebat. At morbus vehementiori mox impetu vires jam nimum prostratas conculcabat, spemq; adeò omnem ulterioris in hisce terris vitæ præcidebat. Mundana itaqve deserenda sibi intelligens Nobilissimus ROMANUS, ad cœleste sese iter accingere, cumqve justitiam suam in foro poli menstruato panno non dissimilem, esse nosset, Justitiâ CHRISTI se totum veluti convestire, nec aliud quicquam quam cœlestia animo suo agitans, cum admodum reverendo Confessario, à quo viaticatus ritè fuerat, de futura vitæ beatitudine pulchrè differere, gratiisqve Magnifico Socero Venerandæqve Socru pro beneficentia effusissima persolutis, relictâqve tum Uxori dilectissimæ, tum dulcissimo Affini, filiabusqve teneris benedictione, die XXIX. Martii in Redemptore suo placidissimè obdormire, Vir sanè vel Nestoræâ vitâ dignissimus, & in flore illo ætatis sapientissimis veterum Romanorum Jctis comparandus. Et ecce vitam Nobilissimi ROMANI brevi admodum filo pertextam, quæ Tulliano vel Buchneriano aliquo calamo describi merebatur! Nos officii nostri memores, post JUSTISSIMUM SALVATOREM exeqviali honore affectum, horâ III. & ROMANO per CHRISTUM JUSTIFICATO parentabimus, stipatissimum nobis Procerum Civiumqve Academicorum comitatum promittentes. P. P. Lipsiæ ipsâ emortuali CHRISTI die A. E. C. M. DC. LXXV.

LITERIS JOHANN-ERICI HAHNII.

1077

115





QK-268,24

RECT  
ACADEMIÆ I

ad  
Supremum C

VIR

Admodum Reverendo, No  
Consultissimo, Exce

DN

PAULO FR  
ROMA

Hæreditario in

J.U.D. Com. Palat. Cæ  
Publ. Facult. Jurid. Assessori, C  
& Villarum Veterum Ac

posito Mag  
horâ 11

frequentissimo Comita

PROCERES AC CIVE

officiose ac per  
invitat.



d  
940

